SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HOMILIA IN SANCTOS APOSTOLOS

PETRUM, ET PAULUM

Habita ad Populum Romanum

EX LATINO IN GRÆCUM VERSA

A

BLASIO GARYOPHILO.

NEAP. Apud Dominicum-Antonium Parrino Typogr. Archiep. In Platea Toletana ſub ſigno SALVATORIS 1704.

SUPERIORUM LICENTIA.

Nec verbum verbo curabo reddere
fidus Interpres.

Horatius ad Pisones.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

MARCO-ANTONIO BURGHESIO

U.J.D. THOMAS GARYOPHILUS

S. P. D.

QUum in meam poteſtatem deueniſſet hæc verſio, quam Gręci peculiari nomine παράφρασιν vocant, ſtatim mihi in mentem venit illam publi-

ci juris facere . Duplex illius dos est, quòd curam ab aliis non adgressam Auctor susceperit, & quòd à viris benè linguam Græcam percallentibus, quorũ in præsens amplissima Civitas nostra plena est, laudibus hãc efferri sentirem. In magnas enim delabuntur difficultates, qui operam prȩstant vertendis Orationibus CLEMENTIS XI, quæ propter robur, & acumen sententiarum, majestatem, & elegantiam latini sermonis haud facilè quavis vernacula lingua possunt explicari. Majorem subivit Auctor difficultatem: Nam, ùt omnibus perspectum est, lingua Græca nobis est peregrina, ex libris, nummis, & monimentis marmoreis perdiscenda, imò nec facilè, ùt dicebat Heinsius, datum nobis est lepores, veneres; rationesque illius notas, & explicatas haberè. Igitur quum in animo esset hanc viro nuncupare, qui

no-

nobilitate generis, & scientiarum peritia longè alios antecelleret, Tu statim occurristi Excellentissime Princeps, Flos Equitum, & Romanæ Urbis ornamentum. De Nobilitate, de Majorum tuorum rebus gestis, de divitiis nullum sermonem instituam, quum potiùs aliena, quàm propria sint bona. Verùm præclarissimas, insignesque tui virtutes, si possum enumerabo. Te siquidem, ut primùm ex pueris excessisti, doctissimi viri suscepere, quibus Pater tuus Magnificentiæ, Prudentiæque verum exemplar Te commisit, ut ab illis brevi, quod Tibi evenit, perdisceres, atque teneres, quæ sit Universi natura, ac Mentis humanæ, & quid possit oriri, & quænam cuique corpori potestas finita sit, artemque, qua Tibi, & aliis felicitatem possis impertiri. Item scientiam pernoscendi origines mutationis rerum publica-

rum,

nè peritiam

rum, discrimina religionum, quæ inter populos longè, latèque dissitos versantur. Hisce adjunxisti admirandam situs cujuscumque etiam Oppiduli, quę gentes illic vitam degant, quæ leges illas moderentur, denique prisca, recentiaque nomina, quibus insignitur. Verùm finibus harum rerum non contentus, pergratum, atque perjucundum tibi fuit Civitates, Provincias, Regnaque peragrare: sciebas enim quantum utilitatis ex hac re derivatur in homines. Sciebas illud Homeri, qui de Ulysse, ut multis laudibus eum cumularet, inquit:

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω

Nullius nunc est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, quæ non dicam exornare, sed enarrare res hujus tuæ peregrinationis, MARCEANTONI, possit. Quantam .n. admirationem vix vigesimum annum explens

plens

plens Gallorum mentibus ingesſiſti, dum Tibi venuſtè, politèque Gallicam linguam loquenti ſe faciles præbebant! quanta Te humanitate, beneuolentiaque Ludouicus Magnus excepit, & qui in clariſsimo, vetuſtiſsimoque illo Galliarum Regno Viri Primorum Principes ſunt! quàm præ cæteris Italis acceptus, atque jucundiſsimus fuiſti Anglis, qui in Tui admirationem maximam rapiebantur propter perſpicuitatem, & ornatum latini tui ſermonis, teque probitate, & optimarum artium ſtudio, & innocentia præſtantiſſimum in cœlum laudibus tollebant! Illic ſemper verſabaris cum doctiſsimis viris, & præ cæteris cum eximio illo noſtræ ætatis Philoſophorum Principe Roberto Boylio, cum quo de rebus phyſicis plurimum ſermonis habuiſti; neque in prçſentiarum tuam manſuetudinem, inuſitatam, inauditamq; Clemen-

men-

mentiam, incredibilem, ac penè divinam beneficentiam tacitus silentio nullo modo præterire possum, aliasq; animi tui dotes, quas quidem ità esse magnas fateor, ut eas vix cujusque mens, ac cogitatio capere posit. Hanc igitur læto excipias animo pro meę erga Te observantię testimonio Te etiam atque etiam rogo. Tibi enim meritò, atque optimo jure convenit, quum tua sit, tuaq; ex domo exierit; etenim Auctor pro singulari in illũ benevolentia, proque beneficiis tuis in ipsum maximis ita pridem fidei tuæ se tradidit, atque in perdocendis, rectèq; instituendis liberis tuis totus incumbit. Vale Nobilissime Princeps, Teque, & filios tuos Deus plurimum sospitet, ut literis, scientiisque faveatis.

AUdiſtis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Evangelicæ verba lectionis; placeat nunc myſteria perpendere, documenta ſcrutari: ut ſanctam hodiernę celebritatis lætitiam ſalutaris fidelium inſtructio conſequatur. Ac quoniam viuus eſt Sermo Dei, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti: nullis jam verborum phaleris, nullis eloquentię ornamentis divini Sermonis vires obtundamus.

Quid de ſe dicant homines, humili Chriſtus inveſtigatione perquirit. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Magni conſilii Angelus, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis illorum adſcribi conſortio non dedignatûr, de quibus ſcriptum novimus: Filii hominum uſquequò gravi corde? Vani filii hominum; Mendaces filii hominum: Vulgari nimirum hoc, ac deſpecto filii hominis nomine, quo æterni Patris filius vocari amat, ſtulta, & inanis hominum damnatur ambitio, qui vanis honorum titulis intumeſcunt. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Nihil profectò habebat Chriſtus, quod in ſe emendaret; quæſivit quid ſe dicerent homines, ut alios inſtrueret. Habemus nos multa, quæ in nobis emendemus: quęramus quid de nobis dicant homines, ut ab aliis in-

ſtrua-

ſtruamur; ac humilitatem, quam in ſcientia Chriſti docere debuimus, in correctionis noſtrę tribulatione diſcamus. Varia tamen, & prorſus fallacia ſunt humana ſentientium judicia. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Ubi ſcilicet ea, quæ Dei ſunt, Mundi rationibus expendimus, neceſſe eſt, ut fallamur; nec certa poſſunt umquam eſſe judicia, quæ humanæ prudentiæ viribus, non divinæ veritatis argumentis innituntur. Illis proinde, qui homines ſunt, humanæ opinantibus ad eos, qui ſupra homines ſunt, interrogatio convertitur. Vos autem, quem me eſſe dicitis? Humanam propè ſortem egrediuntur, qui Chriſti ſectantur veſtigia; nihil illos ſapere decet terrenum, & humile; nihil fluxum, &

cadu-

caducum, ac penitus humanum nihil: adeo ut non eos amplius fas sit homines credere, sed Deos, & filios Excelsi omnes. Hos inter prior fuit in Domini confessione, qui primus erat in Apostolica dignitate. Discant, qui alijs præsunt, illorum, qui sibi subsunt, tarditatem verbo excitare, exemplo prævenire. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Primus respondit Petrus, & solus; neque enim ambigi potest, num idem alij sentiant, dum Petrus loquitur: illiusque ardore fidei loquitur, qua primus pariter, & solus in mare descenderat, ut ad Jesum veniret, non quidem considerans, ubi pedum vestigia poneret, sed tantum videns, ubi figeret vestigium charitatis: sustentavit scilicet fides, quem unda mergebat: & quem fluctuum procel-

la

la turbabat, Salvatoris dilectio confirmavit. Poterant eorum varia esse responsa, qui humana sapiebant: non poterant non eadem illi respondere; quorum erat una fides, cor unum, & anima una. Hinc omnis lingua, quę confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur: Tu es Christus filius Dei vivi. Dixerat se Christus filium hominis. dixit eum Petrus filium Dei; commendauit Verbum Dei humilitatem suam: agnouit homo Domini sui claritatem. Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Cœlestis scilicet Pater, cùm dixit: Hic est filius meus: Petro reuelauit, ut diceret: Tu es filius Dei. Carnis, & san-

guinis reuelatio diuinæ reuelationi cō-
ſona eſſe non poteſt. Prudentia enim
carnis mors eſt: ſapientia carnis inimi-
ca eſt Deo. Beatus hinc meritò dicitur
Petrus, quem carnalis non ſefellit opi-
nio, ſed inſpiratio cœleſtis inſtruxit, ut
Chriſtum Dei filium palam fateretur,
& crederet. Digna ſanè confeſſio, quæ
omnium humanorum opinionum in-
certa tranſcendit, & firmitatem petræ,
quæ nullis impulſionibus quateretur,
accepit. Et ego dico tibi, quia tu es Pe-
trus, & ſuper hanc petram ædificabo
Eccleſiam meam. Attendamus itaque
ad hanc petram, unde excisi fuimus;
ſectemur fidem; charitatem æmule-
mur; ut illius ſoliditate firmati irruen-
tis inferi portas minimè formidemus.
Et portę inferi non prędualebunt aduer-
ſus eam. Ædificauit Vir ſapiens do-
mum ſuam ſupra petram, & deſcendit
plu-

pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in Domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram; & portæ inferi non præualebunt. Verum non modo Petrus meruit à Chriſto Domino appellari petra, quippe quæ totius Chriſtiani operis compagem, molemque ſuſtineret, ſed Regni inſuper Cœlorum janitor conſtituitur, ac ligandorum, & ſoluendorum arbiter, menſura etiam in Cœlis judiciorum ſuorum definitione; prçficitur. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terrã, erit ſolutum & in cœlis. Permanet adhuc, Dilectiſſimi, ſemperq; permanebit, quod in Chriſto Petrus credidit: permanet itidem, ſemperq; permanebit, quod in Petro Chriſtus inſtituit. Timeant

meant

meant igitur ligati, timeant soluti. Qui soluti sunt, timeant, ne ligentur: qui ligati sunt, orent ut soluantur. Oremus & nos similiter, misericordem Dominum prope sacros Apostolorũ cineres suppliciter deprecantes, ut illorum interveniëntibus meritis sedium suarum assistricem sapientiam tribuat: nobis quidem, ut commissum humilitati nostræ Apostolicum munus salubriter exequi valeamus; cęteris verò fidelibus omnibus, ut piissimam, ac veram matrem Ecclesiam, quæ nec peccantibus filiis superbè insultat, nec correctis difficilè ignoscit, humiliter agnoscentes, agnoscant pariter, metuant, ac reuereantur ligandi, atque soluendi potestatem illam, quæ Petro à Domino tradita in indigno herede non deficit.

Ο'ύασιν ὑμετέροις πεχυπείθεσιν, ὦ φίλα τέκνα,
Καὶ σεμνοὶ μάλ' ἀδελφοὶ δὴ δέξασθε ἣ φωνὴν
Τερπνίστην ἐρατοῖο θεηγόρυ ἀνθερεῶνος.
Νῦν μυστήρια σκέπτεσθ' ἄχραντ' ὥσπερ ἔοικε
Θεσπεσίη ἔχ' ἃ βίβλος, ἕως ἂν γαῖαν ἱκάνῃ
Γηθοσυνή, καὶ κάλλος ἐριφραδές ἐστιν ἑορτῆς.
Α'λλά ἐμοὶ πρέπει ἁπλῶς ὑμῖν θέσκελα ἔργα,
Ρ῾ήματα, καὶ ζώοντα θεοῦ μεγάλοιο προφαίνειν.
Η'δὺς ἐπουράνιος μὲν ἐπεὶ λόγος ἀνδρὶ ἀέξων
Πίστιν ἀκαμπέα, καὶ γλυκερῦ βιότοιο γαλήνην
Φάσγανον ὡς ἄμφηκες τὴν κραδίην διαπείρει.
Οὖν ταῦθ' ὑμετέρῳ, καὶ νῦν ἐπιβάλλετε θυμῷ·
Χριστὸς ἑορτᾷ εἷο μαθητὰς ὃν δοκέουσιν
Α'νέρες υἱὸν δ' ἄνθρωποι περὶ εἷο νοήσας.
Θάμβος ἔχει μ' ὅτ' ἃ δὴ ἐτυμόθρος ἔννεπε κήρυξ
Σκέπτομαι. Ι'σοφυὴς γενετῆρος ὁμήλικος υἱὸς
Α'θάνατος, καὶ τῷ φάος ἀχλυόεντι δὲ κόσμῳ
Εἰρήνη, καὶ ζωὴ πάντροφος, ἀνδράσιν αὐτοῖς
Αὐτὸς ἀριθμηθεὶς, λέγει ὧν ψευδὲς στόμα μύθυς
Τὺς κενεαυχέας, οἳ κακοὶ, οἳ μὲν ἀνάρσιοί εἰσιν;
Α'λλά καλεῖσθαι ἀνδρὸς, καὶ θεοῖ ἥνδανε θυμῷ
Υ'ιὸν δ' ὡς ἐπιπλήττῃ τὴν ματίην βροτοειδῆ,
Καὶ κλέος ὀνομάτων κενεῶν, ἃ μὲν ἴσα παρέρπει

Ἀστυπεῖ δὲ σκιῇ. τάδε τοὔνεκα ἔκφατο Χριστός.
Ὡς ἐπανορθῶμεν δ᾽ ἃ πέλει λοξ᾽ ὑμέτερ᾽ ἔργα.
Ἐξετάσωμεν δ᾽ ουῦ μὲν ἃ συλλαλέουσί περ ἄνδρες
Ἀμφ᾽ ἡμῶν μιμώμενοι ἄφθιτα ἔργα δὲ Χριστοῦ.
Δηλοῖ ὁμοίως ἔτι᾽ οὐκ ἀμπλακίης ἀπάνευθε
Θυμὸς τῶν μερόπων κόσμοιο πράγματα κρίνει.
Οἵδε ἐπειδὴ Χριστῷ εἶπον ἀμοιβάδι φωνῇ
Πιστὸν Ἰωάννην ἄλλοι ἔμεναί σε λέγουσιν,
Ἄλλοι δ᾽ ἀντερίδαινον ὁμογλώσσων ἀπὸ λαιμῶν,
Σ᾽ ὄψιμον Ἠλίαν παλινόστιμον εἰς χθόνα εἶναι,
Κ᾽ Ἰσαίαν πολύϊδριν σ᾽ ἄλλοι εἶν᾽ ἀγόρευσαν,
Ἄλλος σ᾽ εἶναι ἄλλον ἐλεύθερα χείλεα λύσας
Φράζει, κ᾽ ἀμπλακίας δὲ τιθέντες ἐπ᾽ ἀμπλακίῃσι
Τόσσον ῥάπτουσ᾽ εἰν θείοις κοσμήτορες ἄνδρες
Ὑψιμέδοντος ἄνευ χάριτος δ᾽ ἀλλ᾽ ἀβρ᾽ ὅτ᾽ ἐν ἡμῶν
Χείλεσιν ἐκκέχυται χάρις ἐσθλὸν μὲν τότε μῦθον
Ἡμέτερος πεπνώσῃ νοῦς, κ᾽ εἰς οὐρανὸν ἐλθεῖν
Ἰθυπόρους πτέρυγας δὲ θοὰς ἀνέμοισι πετάθει.
Τοῦτο φαεινῶς χριστὸς δῆλ᾽ ὅτε εἶπε μαθηταῖς·
Ὅν με λέγεσθ᾽ ἔμεναι νυῦ; Μᾶλλον κ᾽ ὄλβιοί εἰσιν
Οἷς Χριστοῦ δὲ μέμηλεν ἀκήρατος αἰὲν ἀταρπὸς,
Οἳ μεγαλαυχέα, οἵδε, καὶ ὑψιλὰ αἰὲν ἀοιδαῖς
Οὐ πάγε γηγενέ᾽ ᾀδόμενοι δὲ ἀριπρεπέεσσι
Θεσπεσίοιν νύκτας τε, καὶ ἤματα πνεῦμα ἔχοντες
Κυδίστοιο θεοῦ ὀνομάζονται φίλοι υἱοί.
Ὡς Πέτρος πρώτοισ᾽ ὢν πρῶτος ὁ τὸν δ᾽ οὐκ αὐτοῖς
Ὡμολόγησε μόνος Χριστὸν ζάθεον. Μαθέτωσαν

Γαιης

Γαίης οἱ βασιλῆες ἐχυηροὺς, καὶ ἐπέεσιν,
Πράγμασι κ' ὀτρυνέειν. Πρῶτος τὸν δ' ὡς ἀγόρευσε
Πειθήμων Πέτρος γ' ὁ βοώμενος οὔνομα Σίμων,
Ὅττι θεοῦ σὺ μόνος, κ' ἅγιος πέλες υἱὸς ἀμύμων.
Ταῦτα μὲν εἰπὼν δὴ δὲ πρόφαιν' ἐρικυδέα πίστιν,
Ἣν αὐτὸς πρότερος, καὶ μοῦνος ἐς ἅλα κατελθὼν
Τὴν πολύφλοισβον πρὶν προέφηνέ τε δώτορ' ἐαών.
Παντοδαπαὶ, καὶ πολλαὶ ἀμοιβαὶ εἶν' ἐδιώοντο
Τῶν, οἳ ἀμφ' ἀνθρώπινα, καὶ τάδε φθαρτὰ νοοῦσιν,
Ἀλλὰ ὅμοιαι ὧν μία πίστις, ἢ κραδίητε,
Καὶ ψυχὴ μία. γηγενέες φάσκουσιν ἅπαντες
Χριστὸν ζώοντός τε θεοῦ πανυπέρτατον υἱόν.
Εἶπε ταπεινῶς Χριστὸς κ' ἀνθρώποιό μιν υἱὸν
Ἔμμεν' ἀνὴρ υἱὸν, κ' ὀνομάζει τὸν δὲ θεοῖο.
Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος Χριστὸς προσέφη τινὶ Μύθῳ·
Ὄλβιος ὦ Σίμων ὅτι οὐ σοι ἀνὴρ τὰ προφαίνει,
Ἀλλὰ πατὴρ ἐμέθεν δ' ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων.
Οὗτος ὅτ' εἶπε, σὺ ὢν φίλος υἱός μου, δὲ προφαίνει
Πέτρῳ ὡς ἔμμεναι υἱὸν δὲ θεοῖ' ἀγορεύσει.
Ἄνθρωπος δὲ ἐναντί' ἐπουρανίοις ἀποφαίνει,
Καὶ μὲν ἐπιστήμη κόσμου μερόπεσσιν ἔδωκε
Τὸν θανάτου σκιόεντα, θεοῦ μεγάλοιο τὸ μῦσος.
Ὄλβιος οὖν Πέτρος δ', ὃς Χριστὸν ὡμολόγησε
Ὑψίστοιο θεοῦ υἱὸν δ' ἁγίοιο, καὶ ἀλκὴν
Πνεύματος εἶν νῷ ἔχων, καὶ ἄλλα τὰ δῶρα θεοῖο.
Ὄλβιος οὖν Πέτρος τ' ἄρρητα γὰρ ὡμολόγησας
Πείρατ' ἐπιστήμης κεν ὑπερβαίνει δ' ἀνθρώπων;

Καὶ

Καὶ κράτος ᾧ σαθερῇ χ' ἱερῇ Πέτρῃ τότ' ὀπάσσει,
Ἣν οὐ πιλνῷ γῆς σεισμὸς, κ) ἐ Βορέαο
Ὁρμὴ, οὐδὲ, κ) Οὐρανὸς ἀστεροπῇσι θαμειαῖς,
Ὄττι θεὸς μιὴ βούλετ' ὑπὲρ τῆς εὖτε ἐρείδειν
Πάντων πιστῶν τὴν ἀγορλὼ, ὡς εἶπεν ὁ Χριστός.
Τὴνδὲ φυλάττωμεν πίστιν συμφράδμον' ἔχοντες,
Καὶ Χάριν ὡς τῆδ' ἡμετέρλω νιῦ ἐλπίδα θῶμεν.
Οὔπως, ἐδὲ τρομήσωμεν, κ) κῆρα μέλαιναν,
Οὐ φοβερὲ πλυτῆος ὑποχθονίαο βέρεθρα,
Οὐ στυγερὰς κ) Ἐριννύας, κυύα ἐδὲ βοῶντα.
Ὄττ' ἀΐδαο πύλαι τὴν ἐδὲ κατασχισέυσι.
Τὄυνεκα Πέτρον Χριστὸς, κ) ὀνόμαζέ τε πέτρλω,
Ἀλλ' ἤδη δυύαμιν χ' ᾧ ἐρανὸν ἀστερόεντα
Δῶκεν ἀνοίγειν, κ) κλείειν ἀβρῇ τινὶ φωνῇ
Σοὶ δώσω κλεῖδας νιῦ ἐρανίε βασιλείης,
Πάντ' ἃ σὺ λύσεις, κ) δεσμεύσεις σὺ χθονὶ εὑρεῖ,
Καὶ λύσω, κ) δεσμεύσω κλυτὰ δώματα ναίων.
Ὦ Ἄνδρες πιστοῖς μένει αὕτη δόξα φαεινῶς
Τὸν Χριστὸν κ' εἶν' ὑὸν δ' ἀθανάτοιο θεοῖο,
Καὶ δὲ μένεσα ἀεὶ δυύαμις τὴν Χριστὸς ἔδωκεν.
Ουῦ τρομενέσωσ' ὅιδ' ἐυ λησάμεν' οὐκετι αὐτοὺς
Δῆσαι, οἱ κ) δησάμενοι παρὰ ἀθανάτοιο
Νιῦ αἰτῶσι προσευχῆς δεσμεύσαι αὖ ὅδ' αὐτοὺς.
Λισσόμεθ' ουῦ δὲ θεὸν πανεπίσκοπον ἐγγύθεν ἅδε
Κηρύκων ἁγίων ὡς οὖ σοφίη με διδάσκει
Κυδιάνειρα φυλάξειν οὐράνιον βασιλείλω,
Καὶ ἀεὶ ἐυπράξειν δὲ πολυκλῆιστα τὰ ἔργα.

Λισ-

Λισσόμεθ' αὖ δὲ θεὸν παρὰ τοῖς πιστοῖσιν ἅπασιν,
Ὡ'ς πιστῶν ἀγορὴν εὔζωον ἀκηράσιόντε
Πηγὴν νῦν τιμῶσι σεβαστὴν μητέρ' ἀπάντων.
Κ' ἀέναον, καὶ ἄῤῥητον γαιήοχον αἴγλην
Τῆς, καὶ ἐπουράνιον γὰρ τὸ κράτος ἐστὶ μέγιστον.
Ῥεῖα ἀριζήλῳ δὲ χαρίζετ' ἀγήνορι ἀνδρὶ,
Ῥεῖα χαριζομένη μὲν ἁμαρτινόοισί κεν υἱοῖς,
Καὶ μᾶλλον τιμῶσιν ὅλης χθονὸς ἡγεμονῆες,
Ἣν μεγάλην δύναμιν Πέτρῳ Χριστός περ ἔδωκεν
Ἰθυδίκαισιν ἀεὶ παρὰ κληρονόμοισι μένουσαν.